

Andreas Krziczki episcopus Premisli-
ensis, Petro Tomiczki episcopo Cracovien-
si regni Poloniae vicecancellario.

Reverendissime mi domine, domine benefactor
gratiosissime. Accurrit huc nuntius domini Lu-
cia de Gorka castellani Posnaniensis ex con-
ventu illo Posnaniae habito, qui mihi nihil
referre sicut. Dominus etiam ipse Posnaniens-
is se ad literas ad regem à se scriptas refert
in omnibus. Ostendit mihi tamen literas domi-
nus Nicolaus De Szidlowiec castellanus Sandor-
miniensis à domino Joanne Latański episcopo
Posnaniensi sibi scriptas, quibus ille scribit
sua opera conventum optime et concordissime
actum, inductam nobilitatem ut secum domini
nuntios eligerent, quod ante fuit omissum, ele-
ctosque nominatione Dominorum, castellanum
Przemontensem, iudicem Posnaniensem, dominum
Factorowski, nobilitas verò castellanum Tremen-
sem, castellanum Camenensem, et Albertum
Grudzenski. Hi omnes reverendissime Domine,
novit vestra dominatio reverendissima et cuius
quadra haerent, et licet mihi placeant sum-
mopere tres primi, placeat et concordia domino-
rum cum nobilitate, reconciliatis pene omni-
bus domino Posnaniensi, metuo tamen ne hic
cortex duntaxat sit reipublice, nucleus verò pri-
vate. Non placet enim mihi haec cauda lite-

rarum ipsius domini episcopi, quam subiunxit
ait his verbis: In quem autem effectum veni-
re debent ipsi nuntij ad conventum, intelliget
vestra magnificentia ex literis nostris ad ma-
iestatem regiam missis: profecto aliter fieri
non potuit, nam et de concordia nostra cum
nobilitate nihil fuisset factum si haec non ad-
missemus. Sed latius dicit dominus Vincen-
tius Splawski, quem ad maiestatem regiam
in hac re mittimus. Haec ille. Mihi suspi-
cio est non datam plenam facultatem nuntijs,
aut aliquid eiusmodi, unde iterum frustra erit
tempus et opera in conventu sumenda. Quam-
primum dominus Vincentius veniet, mox omni-
bus ea illo cognitio, perscribam vestre domi-
nationi reverendissima per primum nuntium.
De occisa sorore Zebrzydowski rumor confirma-
tur, timet uterque frater casum aliquem ma-
tris ea maiore, itaque vellet iste senior, si
cum gratia fieri possit, dominationi vestre re-
verendissima illo occurrere, et matrem in tan-
ta calamitate inquirere, remque disquirere, et con-
sultare cum amicis. Id tamen in gratia et arbi-
trio dominationis vestre reverendissima esto, cui
me humiliter commendo. Datum Cracoviae in
crastino sanctae Catharinae, anno domini mil-
lesimo quingentesimo vigesimo quinto